



Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Actorvm Ecclesiae Mediolanensis, Pars Tertia - In Qva, Liber Memorialis Ad
populum Ciuitatis, & Dioecesis Mediolanensis, A Beato Carolo Borromaeo
Titvli Sanctae Praxedis compositus continetur

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

Decretum de hospitio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10502

diocesanæ xj. præsentés adesse debent; qui certo Ecclesiæ nomine vniuersè vocati, ordine bini, & collegiatim, ad Illustrissimum Archiepiscopum rectè accedant, cui reuerentiã exhibeant; deinde singuli nominatim vocati, capite aperto, & stantes, modesta, altaque voce respondeant. Adsum.

Inde verò ad Præfectos recognitionis certis Capellis dispositos recta via accedant, quibus Breuiaria, & Calendaria ex præscripto exhibeant, & ad præscriptum scrutini de interrogatis respondeant.

Qui ad eos non accesserint, perinde plectantur, vt qui ad Synodum nulla iusta causa impediti non venerint.

Interrogati autem, si quid indecorè vel responderint, vel egerint, singuli à Præfectis scrutini notentur, vt Canonice subiaceant disciplinæ.

Decretum de Cathedralico.

Parochi autem cum è scrutinio redibunt, rectè, & ordine accedant ad Reuerend. N. Oeconomum nostræ mensæ Archiepiscopalis, cui soluant cathedralicum iure debitum.

De vocatione.

Vocati autem sunt hac præfatione, pro Ecclesiæ dignitatis ratione: ac primum ex capitulo Metropolitanæ, ita. Multum Reueren. D. N. Archipresbyter. Multum Reueren. D. N. Archidiaconus, & sic singulæ dignitates.

Reueren. D. N. Canonicus ordinarius. Præpositi collegiarum vrbis, & diocesis sic.

Reueren. Presbyter N. Præpositus N. Canonici collegiarum vrbis, & diocesis.

Reueren. N. Canonicus Sancti N. Parochi vrbis, & diocesis ita.

Venerabilis presbyter N. parochus S. N. Capellani sic.

Presbyter N. Capellanus S. N. Clerici beneficiati.

N. Clericus S. N. Alij verò clerici suo quisque nomine appellati sunt pro ordinis suscepti ratione sic.

N. Diaconus N. Subdiaconus N. Acolitus N. Exorcista N. Lector N. Ollarius, si ij vocandi sunt.

Cum autem hora esset tarda in sequentem sessionem iussu Illustrissimi Archiepiscopi vocatio Cleri diocesanæ reiecta est, hoc decreto promulgato.

Decretum de differen. scrutinio in alium diem.

Cras ordine, & diligentius Clerus diocesanus vocabitur: accuratius item scrutinium synodale de eo fiet, ad præscriptum Tabellæ, & decreti hodie mane in sessione promulgati.

Postremò actum est de hospicio Clericorum, atque indicta sequens sessio.

Decretum de hospicio.

Omnibus & singulis sacerdotib. clericisq; diocesanis, diuersorium hospitiumq; honestum, & decretis provincialibus, & diocesanis, editisq; provincialibus iussum non habentibus, edicimus, vt diuersentur & hospitentur in quibus Canonice extra portam nouam, quod hospitium præter statum diuersorium eis constitutum est.

Decretum de hospitiiis.

Vicarii, qui non exhibuerunt nomina hospitiorum cleri Vicariatus sui præfectis hospitii, hodie exhibeant.

Lectum quoque fuit decretum de solenni Defunctorum commemoratione die sequenti agenda: cuius decreti formula habetur supra dioces. Synod. viij. pag. 78. decret. 4.

Interea verò antequam hæc sessio dimitteretur, Archidiaconus iussu Illustrissimi Archiepiscopi de more indixit orationem mentalem certis capitibus partitam, pro Cleri disciplina excitanda, & diuino auxilio implorando.

Eiusmodi orationis capita habentur supra Synod. dioces. viij.

Oratione mentali absoluta Illustriss. Archiepiscopus surgens certas preces recitauit, ac Synodo benedixit sine consensione indulgentiæ.